

Remensem et in ipsum consencio ut eligatur in episcopum Metensis ecclesie et pastorem. Ego Nicolas de Briey, canonicus, subdyaconus ecclesie Metensis, nomino domnum Theobaldum fratrem nobilis viri comitis Barrensis, licenciatum in legibus, subdyaconum, canonicum Remensem, et in ipsum consencio ut eligatur in episcopum Metensis ecclesie et pastorem. Ego Andreas dictus M . . . canonicus, subdyaconus ecclesie Metensis, nomino domnum Theobaldum fratrem nobilis viri comitis Barrensis, licenciatum in legibus, subdyaconum, canonicum Remensem, et in ipsum consencio ut eligatur in episcopum Metensem et in pastorem. Ego Philippus de Lucelburch, canonicus Metensis, consencio in venerabilem patrem Ferricum, Dei gratia Aurelianensem episcopum, postulandum in episcopum et pastorem ecclesie Metensis et ipsum nomino. Ego magister Petrus de Vinea, canonicus Metensis, volo supersedere ad presens. Ego Johannes, prepositus ecclesie Montisfalconis, canonicus Metensis, subdyaconus, nomino domnum Theobaldum, fratrem nobilis viri et comitis Barrensis, licenciatum in legibus, subdyaconum, canonicum Remensem et in ipsum consencio ut eligatur in episcopum Metensis ecclesie et in pastorem. Acta sunt hec omnia anno, indictione, mense, die, loco et pontificatu predictis, presentibus ibidem dictis Ottino, magistro Dodone, clericis metensibus juratis, magistro Goberto presbitero, Humberto de Bellavalle dyacono, Poncio dicto le Gronnais et magistro Poncio provinciali, subdyaconis, Johanne decano, Jacobo cancellario, Ph. thesaurario, F. majore archidiacono¹⁹ et quampluribus aliis supradictis canonicis Metensibus ac etiam aliis clericis, advocatis et notariis, testibus ad hoc vocatis et rogatis.

(seing notarié)

Et ego Guillelmus dictus de Bellomonte, clericus Metensis, apostolica ac imperiali publicis auctoritate notarius, premissis omnibus et singulis una cum personis et testibus suprascriptis, presens interfui, ea omnia et singula manu mea propria scripsi et in publicam formam redegei meoque consueto signo nomine signavi rogatus.

¹⁹ Ferri de Lichtenberg, prévôt de Strasbourg, grand archidiacre de Metz: B 256 fol. 238, Cart. év. p. 262, 265. Les autres archidiacres sont Louis de Jeandelaincourt, archidiacre de Vic (cart. St-Avold II p. 593, B 256 fol. 144 v°), Maître Aubri de Mirabel archidiacre de Marsal (B 256 fol. 144 v°) = et Jean archidiacre de Sarrebourg.